

PRAESBYTER SINENSIS, MISSIONARIUS, NOTARIUS APOSTOLICUS, MERITISSIMUS LINGUAE LATINAE CULTOR¹

In alio loco huius fasciculi inuenietis, o lectores, Constitutionem Apostolicam "Veterum sapientia" de lingua latina provehenda et Ordinationes S. C. de Seminariis ad dictam Constitutionem in praxim ducendam. Horum documentorum amplitudo nos impedit a commentariis in singula praecepta edendis; eorum loco sequentem notam publicamus in qua sermo est de praesbytero sinensi Andrea Ly, qui apostolicos labores cum latinitatis cultu eximie coniunxit (Nota redactionis).

Ecclesia valde exoptat ut commentaria de rebus sacris latine exarentur ut vitentur "profanae vocum novitates" necnon "in dogmata varietates, ambiguitates atque etiam perversiones" eademque perlustrari possint a sacris cuiusvis gentis et linguae ministris. Quin immo, Sacerdos qui cum Ecclesia sentire velit, non verebitur linguam latinam palam excolere eademque uti in ecclesiasticis coetibus. Quibus subsidiis, adiuti, viri ecclesiastici motu; obsequentur qui, duce pso VICARIO CHRISTI, provehere magis magisque in dies contendit linguae latinae studium et usum, ad pristino decori redintegrandum praeclarum hunc Ecclesiae thesaurum².

Commoda inde oritura omnibus patescunt, siquidem ductu sermonis Ecclesiae proprii, Clerici adire poterunt sacrae Traditionis fontes, ac nedum intelligere, sed etiam interne sapere documenta magisterii ecclesiastici. Huc accedit quod inde sacrorum administri mirum in modum parantur ad linguam latinam adhibendam "in maioribus discendis disciplinis, in conscribendis ecclesiasticis documentis, et epistolis, in epistolarum commercio habendo, cum fratribus ex clero aliarum gentium, denique in discepcionibus eccle-

¹ Fontes praecipui: 1.º DIARIUM ANDRAEAE LY, (1746-1763). Textus latinus editus cura A. LAUNAY. Typis Nazareth Hong-Kong, 1924, 677 pag. 2.º OLICHON (Illmus D. Armandus): Aux origines du Clergé Chinois. Le Pretre André Ly, Missionnaire au Se-tchoan (1692-1755). Paris, 1933, 3.º SEDES (Jean-Marie) Une grande ame sacerdotale: Le Pretre chinois André Ly, (1692-1777). Lille. Quoties inter cancellos recensetur pagina, Lector remittitur ad DIARIUM ANDRAEAE LY.

² Constitutione Apostolica, die 22 februarii 1962, sollemni ritu in Basilica Petriana sancita, Vicarius CHRISTI, IOANNES XXIII, latinae linguae studium et usum a neglectu et impugnationibus vindicavit, ibique documenta tradit quibus haec communis Ecclesiae vox pristino decori restituitur uti Ecclesiae lingua et cum Ecclesiae vita perpetuo coniuncta. Cf. L'Osservatore Romano, 24 februarii 1962. Acta Apostolicae Sedis, 1962, fasc. III, p. 129-135

siasticis”³, salvo semper unitatis vinculo ac servato remedio hoc efficaci adversus quaslibet germanae doctrinae corruptiones.

Inde fit, ut, testibus ipsis Summis Pontificibus, linguam latinam “adeo cum vita Ecclesiae conexam, *scientia et usu habere perceptam, non tam humanitatis et litterarum, quam religionis interest...* Etenim Ecclesia, ut quae et nationes omnes complexu suo contineat, et usque ad consummationem saeculorum sit permansura..., sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem”⁴.

Hisce quoque sensibus abundabat praeclarus ille Sacerdos Sinensis, ANDRAEAS LY, donis supernis ac litteris humanis, de Ecclesia Dei meritissimi, qui mallebat Missionem Sinicam orbatam videre illius gentis sacerdotibus, quam locupletem operariis sacris sermonis latini ignaris, propter gravissima incommoda quae nascitura praevidebat ex eiusdem neglectu in nascenti Clero patrio. Inde ipse magna cura sermonem latinum semper excolere contendit, atque monumentum perenne nobis reliquit cultus huic Ecclesiae pretiosae haereditati a semetipso adhibiti, DIARIUM, nempe, venustum, per ordinem temporis, contextum latino sermone, semper accuratissimo, quandoque concinno. Mirum quidem ac excitans facinus dignum quod viris ecclesiasticis imitandum exhibeatur, nostra prasertim aetate qua Sancta Sedes strenue conatur linguae latinae usum Clericos ulterius promovere.

In praefato DIARIO, P. LY expressos reliquit sensus sibi proprios circa Bullam “Felicitis recordationis” a BENEDICTO XIV, die 12 februarii datam qua Missionis Se-tchuensis Praesuli facultas tribuebatur ad septennium, Presbyteratum conferendi Clericis sinensibus linguam latinam legere duntaxat valentibus.

“Quo pacto, quaeso inquit P. LY- aliquis Sacerdos Sinensis absque notitia linguae latinae, suis e fontibus eruere posset fundamenta veritatis christianae Religionis quae sacris duntaxat in Scripturis, Traditionibus tum Apostolicis, tum ecclesiasticis, Sanctorum Patrum voluminibus et Ecclesiae auctoritate reperiuntur?... Quod tremendo suo in sacerdotali munere, non hallucinetur vix ac ne vix quidem mihi persuasum est... Si eruditissimi quique... et in Theologia versatissimi Episcopi et praeclarissimi Ecclesiae Antistites, humanae infirmitatis ob fragilitatem, nonnumquam in multis se errasse non diffitentur, quid sentiendum, oro, de Presbytero supra a me depicto? His omnibus perpensis, securius mihi videretur, pro meliore Missionis statu fore, si Vicarius Apostolicus nullum Sinensem linguae latinae ignarum, sacros ad ordines promoveret” (p. 518).

³ Consulendae sunt ORDINATIONES a S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus conditae ad Constitutionem Apostolicam “Veterum sapientia” rite exsequendam. Acta Apostolicae Sedis, 30 maii 1962, p. 339-368, ubi normae eduntur quibus “linguae latinae docendae discendaeque idoneam ad eiusdem instaurationem plene et efficaciter consequendam” (ib. p. 339). Miranda prorsus viget cohaerentia rationem hic traditam inter et methodum adhibitam a P. LY ad praefixum scopum sermone latino loquendi scribendique attingendum.

⁴ Ita PIUS XI, Epistola Apostolica: “Officiorum omnium” I augusti 1922. AAS. 1922, p. 452; quae verba IOANNES XXIII, ibidem repetit ac sibi propria profitetur.

Ut vero praemissi documenti vim penitus perspectam servemus, non abs re erit oculis nostris obicere praecipua auctoris delineamenta ex terno titulo deprompta quem litteris caeterisque scriptis adiungem solebat; ANDREAS LY, *Presbyter Sinensis. Missionarius et Notarius Apostolicus.*

I. PRESBYTER SINENSIS :

ANDRAEAS LY, Ecclesiae Sinensis decus fulgidum, exeunte saeculo XVII^o. (1692), in urbe TCHINKU, intra Provinciae CHENSI fines, ortus e parentibus verae fidei addictissimis, in vicina tamen provincia Se-tchuensi, ubi iam puer vitam degebat, Sodalibus Societatis Parisiensis Missionum ad externos, vocationem sacram exculendam commisit. Presbyteri Parisienses, cum decreto imperiali de ritibus sinensibus se subiicere renuissent, anno 1707, summo animi moerore Missionem deserere coacti sunt, secum ducentes iuvenem illum scholarem spei radiis micantem. In urbe Macaensi, priusquam ad ordines minores promoveretur, haud pauca animo ingrata percepit nunquam oblivione delenda. Porro, quadraginta post annos, singula luctuosi spectaculi adiuncta nobis tradet enucleate digesta.

“Cum Eminentissimus ille Dominus (S. Sedis Legatus Card. CAROLUS THOMAS MAILLARD DE TOURNON), auctoritate apostolica, aditum ad sacros ordines Sinicae nationi aperire statuisset, nosque tunc temporis legere et scribere latine, necnon et balbutire posse vidisset, convocatis ad se cunctis, variarum nationum et religionum MACAI existentibus Missionariis, suum consilium ordines nobis conferendi aperuit, eorumque consensum poposcit. Cuius propositioni uno ore, unoque consensu simul sese opposuere omnes... Tum Sinensium in favorem, D. DE LA BALUERE, Legato praesentans ait: ...“Ipsa nostra Gallia... ducentorum ferme annorum spatio, post suam ad Deum conversionem, clericos non habuit suos indigenas, eo quod Romanis exploratum esset genium Gallorum ludis, evaporationibus atque venationi mancipatum: his non obstantibus, per gratiam Dei, ... tota nostra Ecclesia gallicana, mille circiter jam ab annis, suis gaudet ministris ecclesiasticis, nec ullo jam eget externo. His et aliis solidissimis rationibus commotus, praefatus Sanctae Sedis Legatus, sacerdotibus licet cunctis missionariis circumstantibus, tonsuram clericalem nobis lubentissime contulit..., anno 1709. En initium ordinationis nostratum Sinensium Sacerdotum” (p. 221).

Clericali militiae adscriptus, ANDRAEAS, prius Macai, dein in Collegio MAHAPRAMENSI (Siam), disciplinis sacris excolendis sedula opera incubuit, sicque tandem Presbyteratum attigit anno 1725. Habemus ergo ANDRAEAM LY, *Presbyterum Sinensem!* Porro, si quis velit sapere 677 iucundas Diarii paginas alacri cura exaratas, non poterit quin miretur Servum Dei fidelem, tantae vocationi respondere cupientem. Teterrima enim persecutione adversus Ecclesiam Dei, ubique Sinarum saeviente, Minister CHRISTI, conscius officii, iugi fidelitate decem ferme lustris (1725-1774) functus est munere sibi commisso dispensatoris mysteriorum Dei. Presbyteri enim munus potissimum censetur gregem dominicum indefesso studio pascere rebus sacris simulque

doctrina evangelica. Qua in re, ANDRAEAS LY, indefessi operarii nobis reliquit specimen:

“Solus ac unicus sacerdotum hac in provincia sum derelictus, cuius officiorum praecipua pars est, versum Dei, maxime his in persecutionum temporibus, christianis inculcare; errores, defectus, moresque perversos ac vitia e medio christianorum extirpare; poenitentes, iuxta Ecclesiae statuta, in gremium eiusdem Matris revocare; suis in corruptelis obduratos ac pervicaces verbis efficacibus, quantum vires suppetunt et gratia Dei dederit, incutere, atque ad poenitentiam provocare et allicere; ni id fecerit Sacerdos tanquam canis mutus a Domino puniendum me vereor; christiani, Sacerdotis exhortationibus non acquiescentes aeterna sibi supplicia cumulant...”

Undenam vero operarius ille strenuus hos sensus hauriebat animarum salute flagrantem?... Hauriebat in gaudio de fontibus Salvatoris, ex tenerima, inquam, pietate qua CHRISTUM DOMINUM Eiusque MATREM ILLIBATAM, mirum in modum prosequabatur.

“O Bone IESU... Ego quidem ut cum Sancto Ignatio martyre loquar, frumentum CHRISTI sum, qui ni rotis moletrini ac dentibus bestiarum minutatim conterar, panis D. J. CHRISTO dignus non efficiar! Sed heu! superabundante iniquitate, refrigescat necesse est charitas multorum...” (p. 528).

Dein ad Solatium afflictorum confugiens, hisce vocibus clamat:

“O Beatissima Deigenitrix, Virgo MARIA, cuius sub tutela tum missio Ssetchuensis a 60 duntaxat annis fundata, tum ego misellus tuus cliens atque indignus peccator, a puero hodiernam usque diem gaudemus; succurras, oro, tuis carceratis, tortura afflictis, in confessione fidei catholicae titubantibus, ... unde et fideles tuos servos, iniquos apud iudices prodentibus, ... Converte, converte, obsecro, tuos misericordes oculos et materno affectu, respice famulos famulasque tuas diu noctuque ad te vociferantes...; sentiant omnes tuum juvamen...”

Fervens CHRISTI dilectio non potest quin ostendatur fideli MAGISTRI sequela:

“Divinam Domini Jesu humilitatem et mansuetudinem ab omnibus imitandam, nobis ob oculos proponamus semper: “Discite a Me, inquit, quia mitis sum et humilis corde”. Quomodo ergo in Evangelio vidimus D. JESUM cum publicanis et peccatoribus se gerentem, sic et nos, sive cum gentilibus, sive cum christianis malevolis, his maxime in calamitosis temporum circumstantiis nos exhibere debemus, ut nil in verbo aut gestu asperum, nisi cum de rebus divinis agatur in nobis sentiatur” ... Inde “cum Doctore gentium dicere poterimus: “Factus sum omnia omnibus ut omnes CHRISTO lucrifaciam” (p. 212).

Vir apprime cum Ecclesia sentiens, in deliciis habebat Summum CHRISTI Vicarium coeterosque plebis Deo devotae Praesules filiali colere reverentia et oboedientia; Quocirca fideli cura exsequi satagebat iuris, sive communis, sive peculiaris praescripta; immo, si quandoque, os specialia rerum adiuncta,

nova stauta condere cogebatur, ad mentem Antistitis absentis, omnia iniungere studebat, semper paratus ad propriam revocandam sententiam, si Praelati aliud decrevisset. Sic in quaestione de Formula iuramenti novis Catechistis praestandi: "Quid porro —ait— praesenti formulae iuramenti addendum, quidve exinde detrahendum sit, iudicio meorum Praelatorum me submitto, nec quidquam juris circa regimen missionis mihi arrogare praesumo, sed universa mihi ab illis communicata exsequar" (p. 358).

Inde quoque oriebatur studium illud sibi iucundum quo Ecclesiae filiis opem ferre conabatur ut "ex primo eoque necessario fonte" spiritum vere christianum possent haurire, ex actuosa, nempe, communicatione cum sacrosanctis mysteriis⁵. En eius testimonium:

"Hactenus, ob nebulonum perquisitionem, hoc in montano loco detentus, ne otio inani pretiosum tempus frustrarem, hymnos et antiphonas, ad MAGNIFICAT et BENEDICTUS, necnon et orationes ab Adventu ad usque ultimam Dominicam post Pentecosten, item Beatissimae Virginis MARIAE, SS. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum et non Virginum, e latino sinicum in sermonem traducere conatus fui; quo in opere, ingentem comperi difficultatem, adamussim singula, juxta metrum et stropham exprimendi... Arduum sane, sed Deo juvante, non videtur insuperabile..." (p. 229).

Hunc laudabilem spiritum liturgicum haustum profitetur ex priscis Praesulibus Missionis Se-tchuensis conditoribus, qui expressis normis statuerant "ut totius Ecclesiae usu approbatae preces a CHRISTI fidelibus, sinico in imperio apud Deum funderentur"... "sic quandiu potero —pergit ANDRAEAS LY— traducere conabor... quaecumque videro utilitati christianorum magis necessaria et longo Ecclesiae usu approbata" (p. 114).

Grate animus afficitur dum conscius fit fructuum quos Presbyter Sinensis mira ubertate percepit ex pietate christocentrica. Diceres evangelica fragrantia perfundi universam eius navitatem pastorem:

"Hodie (15 oct. 1762) ... sacrosanctum Missae sacrificium, quod quinque abhinc diebus ob debilitatem corporis celebrare nequiveram, mane devote celebravi, ut impetrarem a Deo gratiam perseverantiae finalis in amore Domini IESU moriendi. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est nimis. Cupio dissolvi et esse cum CHRISTO IESU. Ficulnea ego sum illa infructuosa dudum in vinea Domini Sabaoth plantata, quae triennio expectata fructum optatum Domino non protulit: quid aliud mihi superest nisi ut succidar ne locum frustra occupem? Sed in omnibus, non mea voluntas, sed sola Dei voluntas fiat" (p. 605-606).

Tandem, ne nimis oratio protendatur, miremur eius animum fortem:

"quid... sibi volunt ipsi nebulones... nisi ut potestatem a Deo ordinatam, in Sacerdotibus repriment? Sed cum S. Ambrosio confidenter, imo et audacter ipsis dicere: Si vis caput ANDRAEAE LY, licet; sed potestatem Dei mihi concessam, tuae libidini ut subjiciam, nusquam tibi cedam" (p. 579).

⁵ Ita Pius X. Fontes Codicis Iuris Canonici, III, p. 609.

Strenuus defensor civitatis, estne ANDRAEAE LY sibi meritis decus ampliatis Regni Dei?

II. MISSIONARIUS APOSTOLICUS:

In iure superiore, duplex distinguebatur titulus Missionarii Apostolici: Imprimis veniebant Missionarii Apostolici *ad honorem*, operarii quidem meritissimi quibus singlatim tantus titulus conferebatur⁶, dein: Missionarii Apostolici locales, inter quos, saltem a mense augusto 1743, duntaxat recensentur Alumni Collegiorum Pontificiorum aliique Sacerdotes per speciale decretum pontificium ad Missiones exercendas deputati⁷. Utriusque ordinis Missionariis Apostolicis, sive ad honorem, sive localibus, quaedam competeat praesentia, vi cuius in choro aliisque conventibus sibi fas erat reliquos Clericos praecedere, titulo hocce honorifico non decoratos⁸. Societatis Parisiensis Sodales etiam nunc temporis, Missionarii Apostolici ornantur titulo, cui accedunt quaedam privilegia seu facultates apostolicae speciales⁹. Quem quidem morem apud Instituti Parisiensis, alumnos praevallentem, sibi, nempe, adscribendi nomen Missionarii Apostolici, iam cernere est medio saeculo XVIII^o, Sancta Sede, consensu saltem tacito, approbante. Inde nihil mirum quod muneris pastoralis socii Sinenses, praefatam praxim sibi aptare non cunctarentur¹⁰.

Re vera, ANDRAEAS LY, ob praestans studium apostolicum, decore adeo praecellenti, absque dubio, ornari merebatur. Profecto, etsi, pro rerum locorumque adiunctis, potissimum sese impendit in salutem fidei domesticorum, minime inde neglexit alterum Evangelii praeconis gravissimum officium, seu curam ovium quae vagantur extra ovile Boni Pastoris.

Quem in finem, pro triumpho et ampliacione Sanctae Ecclesiae, Patrem omnipotentem iugiter deprecabatur pulchris illis precibus quae integrae in Diario recensentur:

“Omnipotens sempiternae Deus... quaesumus immensam clementiae tuae largitatem, quatenus nos famulos tuos, indignos Ecclesiae tuae ministros, piisque hunc tenellum gregem, ... ab insidiis hostium nostrorum tam visibilium, quam invisibilium semper et ubique liberare...; pacemque optatam nostris largiri digneris temporibus, ad maiorem tui nominis gloriam, sanctae ... Ecclesiae ampliacionem, nostram denique et omnium electorum tuorum aeternam salutem” (p. 113).

⁶ Collectanea S. C. de Prop. Fide, 2 vol. Romae, 1907, n.º 1313.

⁷ Ib. n.º 344.

⁸ Ib. I, p. 544 nota (1); n.º 1092.

⁹ Sylloge praecipuorum documentorum recentium Sanctae Sedis, ad usum Missionariorum, Typis Vaticanis, 1939, n.º 219.

¹⁰ Reapse, in epistola, die 8 augusti 1763, missa ad Patres S. Congregationis de Propaganda Fide, venerabilis senex, Notarii titulo omisso, nomini et cognomini propriis, adicere non est veritus formulam explicitiorem: “Presbyter Sinensis, Missionarius Apostolicus” (p. 657).

Precibus addebantur industriae salutare: neminem enim latet quanti Sinenses qualibet aetate fecerint opera litteraria; quocirca nunquam defuerunt in Sinis operarii evangelici qui, fidei propagandae gratia, libellis texendis edendisque sedulam adiiicerent operam. Sane, ANDRAEAS LY dignus censetur qui adscribatur huic praeclaro agmini Confessorum CHRISTI DOMINI: plura enim edidit documenta quibus infidelium praxibus, valida argumentorum vi contritis, concinne adstruitur vera fides eiusque cultus divinus. Huc pertinet, ut res exemplo illustretur, *Brevis trinae Religionis conspectus*, cui scopus est ethnicorum animos disponere ad amplectenda fidei christianae mysteria.

Ut igne apostolico flagraret, lubenter se tradidit perlustrandis facinoribus in commodum infidelium patris, prout coruscant in epistolis SANCTI FRANCISCI XAVERII, aetate illa, auctoritate BENEDICTI XIV, constituti SINARUM PATRONI. SUMMUS PONTIFEX profiteri non veretur, hac in re, potissimum urgeri ipsa persecutione in fideles sinenses ibidem que degentes operarios evangelicos saevienti¹¹. Iam vero, litteris tanti viri Dei perlustratis, animus ANDRAEAE LY pudoris sensibus suffunditur sicque ingemiscit:

“O quanto Dei amore ac zelo animarum inflammatus quondam ille Apostolus, totum Orientem, si res penes ipsum stetisset, ad CHRISTUM, suum Salvatorem, reducere satagebat! Ego vero meis e vitiis et defectibus quotidianis vix emergere valeo, quanta socordia, quantusque tepor! Utinam cunctas dotes et talenta, quae tantus Sanctus suis in operariis evangelicis exquirebat, eadem mini indignissimo ac miserrimo peccatori largiatur Misericors, quibus ornatus, iisdemque sanctitatis inhaerens vestigiis, animas innumeras... gremio Ecclesiae aggregarem” (p. 164).

Reapse sacrum ministerium plebi fideli dicatum minime impedit quominus bonus ille miles CHRISTI operam impenderet novis accessionibus Ecclesiae Matri ditandae. Inde cura instituendi, iuxta Praesulum statuta, novos Catechistas necnon Primate singulis stationibus praepositos, qui devios et errantes ad Evangelii lumen perducere conarentur; inde etiam studium probandi Catechumenos, nam propria experientia compertum habebat in plebe christiana totius “corruptionis originem et fomitem”... suppeditasse “praeposteram acceleratamque Baptismi collationem”. Nolebat enim reus fieri culpae de qua propheticum illud dictum: “Multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam”. Ad uberiorem fructum carpendum; Catechumenis priusquam singula Sacramenta contulisset, eadem explicanda esse merito arbitrabatur. “Ita —inquit— feci in FOU-KIEN, ita QUANTONE, ita hic et nunc facio, quoties recurrit occasio: nec parum utilitatis, in renatis cum gaudio cerno”. Quotannis potissimum sollempnioribus diebus festis, P. LY intimo solatio perfundebatur dum Ecclesiae accensebat novos fidei Candidatos. Inter alios, gaudens refert Baptismum trium mendicorum qui quinque mensium spatio totum CATECHISMUM memoriae mandaverant.

¹¹ Collectanea S. SEDIS, Hong-Kong, 1905, n.º 2095,

"Octobris 9a., quae fuit Dominica 19a. post Pentecostem, eosdem mendicos baptizavi eosque quasi infantes modo in CHRISTO genitos, lacte Eucharistiae refeci; pe-racta dein Missa, illos una mecum gratiarum actiones summo omnium bonorum Largitori, reddere induxi. Persolutis pietatis exercitiis memoratis, eosdem gratificandi gratia, quinque MAS argenti, suos inter totidem socios dividendos lubentissime dedi, maxime ob zelum ac fervorem quem prae se tulerunt suo in catechumenatu, tun in sacro regenerationis fonte, fuis siquidem lacrymis, sua ob praeterita facinora, veniam a Deo impetrandi causa, sanctum ad Baptisma accesserunt: unde astantes christiani etiam veterani mirae devotionis exemplum simul admirati fuere... Hinc benedicente Deo, plurimos mendicorum istius urbis ad veritatis lucem reducidos fore confido..." (p. 438-439).

Superna fide illuminatus, Missionarius noster Apostolicus ima cordis miseratione ferebatur erga eos qui iacent in umbra mortis. Quondam ei contigit cernere ethnicorum coetum idolum colentium ritibus superstitiosis. Hinc fiducia plenus, Deum exorare incepit ne permittere vellet ut ibidem tot homines daemoris fraudibus deciperentur. Res quidem mira! postridie idolum ibidem non amplius cerni potuit, sed omnibus nescientibus, in loco trans monten vicinum sito inventum est.

Conscius servus Dei, superni consilii quo homines ope hominum salvi fiunt, operariorum evangelicorum paucitati subvenire cupiens, duplicem viam aggressus est: imprimis sedulam impendit operam apto Clero sinico instituendo, dein, iuvamen postulavit ab institutis competentibus.

"Attentis ... necessitatibus nostrae missionis, et primaeva intentione quam fundatores nostrae missionis prae se tulerunt, necnon Sacrae Congregationis de formando Clero indigenarum ... vix me retinere possum, quin capto itinere pergam. Unde licet pauper sim ... faciam quod potero ut, ex pueris meae curae commissis, aliquos, si Deo placuerit, in decursu temporum eligam, missioni nostrae aptos..." (p. 82).

Brevi, laetos fructus inde carpere incepit quos sic expressos reliquit:

"Augusti 1a. (1751) ... Tres pueri a me edocti, coeperunt legere missale romanum: eo pacto faciam ut licet nondum sint capaces ad intelligendum ea quae leguntur, facilitatem saltem legendi paulatim inde acquirere valeant, sicut quondam Domini ac magistri nostri nobis fecere. Idem faciunt coram me in refectorio, mane quidem sinice, sero latine" (p. 181).

Tandem, labente anno 1765, senectute aliisque morbis fractus, bonus senex in loco montano, non procul ab urbe TCHENGTOU, iuxta stationem missionalem valde florentem, primum Seminarium Missionis Se-Tchuensis erexit, supellectili adeo misera donatum ut cum inopia IESU recens nati conferri meruerit indeque nomen obtinuerit Seminarii a Nativitate Domini.

Praestantium virtutum praxi omnes nervos adiciebat venerabilis Rector ut nihil puncti deesset institutioni ecclesiasticae alumnorum qui efformabantur in spem Ecclesiae Sinensis. Mediis in procellis, in laudem tanti institutoris vertitur quod par fuerit mittendis quatuor sodalibus in Seminarium

Siamense, qui, sacris ordinibus susceptis, Missionarii nostri Apostolici iam cum CHRISTO in patria regnantis ministerium exsequi perrexerunt in Missionem Se-Tchuensi.

Operarios tamen evangelicos instituere arduum et diuturnum est opus, ideoque cum res urgeret, P. LY ad animarum caritate flagrantium ostium pulsare non dubitavit ut, "si non lubenti nec alacri animo, saltem ut molestiis ab insolitis, seipsas expedirent, ... pro extremis Sinensium inopiis, supplicanti" auxilium porrigerent. His sensibus abundante litterae deprecatoriae ad R. D. CHEMON, Parochum Turonensem missae.

"Lacrymis apud Deum fuis —ait— merito exclamo: "Messis quidem multa, operarii autem pauci". Objiciat forsam quis in charitate frigidus: Quibus premeris calamitates et miseras legitimis tuis Praelatis inculcasse sufficebat, quid opus fuit tam longinqua e regione opem auxiliumve a nobis postules? Respondeo breviter: Equidem Praelatos meos jam dudum de iis certiores reddidi sicut debui, sed ut probe novit tua benignitas, pluribus intentus, minor est ad singula sensus: et unde, quaeso, Vicarii Apostolici operarios evangelicos accerserent, nisi seminaria et collegia... idoneos suppeditarent?..." (p. 365-367).

Re quidem vera, P. LY, quatuor ante annos (1752), in relatione de statu Missionis Se-Tchuensis, Patribus Dicasterii Romani Fidei propagandae praepositi, enixis precibus postulaverat ut operariorum inopiae quamprimum subvenire velint: "Tam vasta tamque populosa hac in provincia... tres duntaxat impresentiarum sumus indigenae Sacerdotes... Sed quid nos tres sumus in comparatione millia millium populi circumdantis...? Hinc intimo cum doloris sensu merito clamitamus quotidie: "Mitte, Domine, quem misurus es" ... Rogamus ergo Dominum messis, ut mittat quantocius suos operarios in vineam suam, ne temporum decursu operariorumque defectu, agrum Domini conculcet, semen suffocet, radicitusque evellat inimicus declaratus".

En Servus fidelis, dilectus Deo et hominibus!

Dilectus Deo qui saepe signis mirabilibus ostendere voluit filii carissimi preces sibi esse acceptissimas, eiusque fiduciam constantem retribuit largitione optati Missionariorum agminis. Anno enim 1767, tempore pomeridiano, in lecto iacens, sed sui compos vocem audivit distincte asserentem tres novos apostolatus socios mox adventuros esse. Praeter omnium expectationem, duos post menses, tandem iuvamen diu optatum pervenit.

Dilectus hominibus! quibus perspicuae erant virtutes eiusdem praesentis: sicque evenit ut nominatus Praesul Missionis Se-tchuensis, D. PETRUS KERHERVE, cum deprehenderit se imparem esse tanto muneri suscipiendo ob oculorum caliginem, substitutum primum proposuit P. ANDRAEAM LY. Sane, teste electo antistite, venerabilis hic confessor, rectius exsequeretur grave Vicarii Apostolici officium, siquidem, omnibus fatentibus, merito censetur anima et fulgrum Missionis Se-tchuensis. Pro dolor! Virium physicarum condicio impedit quominus sapiens consilium in praxim redigeretur, sed nobis patefacit quam dilectus fuerit hominibus Missionarius noster et Notarius Apostolicus.

III. NOTARIUS APOSTOLICUS:

Ineunte anno 1749, P. LY sibi adscribere incepit titulum Notarii Apostolici. Procul dubio praefatus titulus non sibi obvenit ex largitione pontificia, nec stat documentum quo Missionis Praesul, ex facultate sibi concessa, Presbyterum subditum constituit Notarium Apostolicum. Ni fallor, ideo proprio Marte Notarii munus P. LY sibi attribuit quia connexum arbitrabatur cum cura sibi concredita ab Antistite, illmo Dno. DE MARTILLIAT, e territorio absentis, "scribendi omnia adamussim, quae in Missione acciderent" (p. 1).

Quamobrem, frustra quis quaereret quibus in adiunctis A. LY litteris explicitis suscepit titulum muneris Notarii Apostolici adnexum. Sane praemisso nomine non utetur nisi post biennium a suscepto onere referendi eventus Missionis praecipuos, cum, nempe, fidem perhibere debuit de rescripto quodam publico, versione fideli, latine reddito. Porro, iure romano NOTARII nuncupabantur qui notis brevibus citissime scriptis tradebant, sive quae quis dictabat, sive quae oratione publica proferebantur¹². Dein, Notarii nomine veniebant viri probri quorum scripturae censebantur authenticae simulque publicam fidem faciebant de rerum veritate. Ita quoque in primaeva Ecclesia romana, *Notarii regionarii* constituebantur qui, sus vigilantia Diaconi regionarii, acta Martyrum accurate collecta, authentica profitebantur. Huc, labentibus saeculis, accessit munus Episcopis opem ferendi in litteris texendis, documentis publicis exarandis, eisdemque sancte custodiendis vel, data occasione, fideliter proferendis¹³. Iure Decretalium singulis Episcopis facultas agnoscitur sibi constituendi Notarios¹⁴. Inde quoque evenit ut CLEMENS IX, anno 1669, Vicariis Apostolicis tribueret 6 Notarios Apostolicos instituendi facultatem¹⁵. Quod quidem privilegium nunquam in Missionibus abrogatum censetur¹⁶.

Iam vero, ex onere iniuncto omnia scripto referendi quae in Missione acciderint, in mentem ANDRAEAE LY venit, per modum Diarii, omnia scitu utilia accurate recensere.

"Cum multa in dies eveniant nova —statuis P. LY— ad missionis totius huius provinciae statum spectantia; cum denique solus ac unicus his in miserrimis temporum circumstantiis sim derelictus, ... et decursu temporum, rerum multitudine ac varietate pressus..., cuncta accidentia singulatim per epistolas referre nequeam; ideo per modum Diarii, quidque a relatoribus rescivero, aut oculis perspexero, hic retulisse sufficiat..." (p. 1).

Quotannis, currente mense septembri, cursoribus quos Macaum mittebat eo animo ut viaticum seu subsidium annuum, res sacras, litteras et alia sibi

¹² Cf. FORCELLINI, Lexicon totius latinitatis, ad vocem Notarius.

¹³ Cf. WERNZ-VIDAL-AGUIRRE, Ius Canonicum, II, De Personis, Romae, 1943, 644.

¹⁴ Cf. Cap. II, X, II, 19 cum Conc. Trident. sess. XXII, c. 10.

¹⁵ Ita CLEMENS IX, in Constitutione "Speculatores", 13-sept. 1669, Collectanea, I, p. 62.

¹⁶ Collectanea, II, p. 479.

inde afferrent, simul committebat Diarium anno elapso respondens Missionis Praesuli tradendum. Animo constanti praeditus, saepe solus Minister sacer in amplissima provincia, ministeriis pastoralibus sibi undequaque irruentibus, per 17 annorum curriculum (1747-1764), arduum opus adiecit singulis diebus sermone latino scriptis tradendi eventus maxime notabiles nedum ad Missiones spectantes, sed etiam ad totum imperium sinicum. Inde ortum duxit monumentum perenne quo perlustrantur persecuciones adversus Ecclesiam Dei motas, earum que causae, edicta hac de re lata, plurima gesta Confessorum fidei, necnon obitus terrimus quo, Deo iustissimo vindice, miserrime perierunt "capitales diaboli ministri". Inde quoque nobis innotescunt plures praxes piae ubique Missionis Se-tchuensis vigentes, preces persolvendae statis cuiusque anni diebus, ritus quibus perficiebantur fidelium munera, condicio iuridica et oeconomica Cleri Sinensis, normae servandae Catechistis aliisque stationum primatibus. Verum momentum Diarii praesantissimum in eo stat quod nobis praebet delineamenta moralia operarii evangelici qui, qualibet auctoritate orbatus, nisi excipias auctoritatem quam sibi conciliabant dotes praeclarae, data occasione tradere non cunctabatur hortamenta proficua Cooperatoribus, sive Clericis, sive laicis, necnon casus morales, ob peculiaria rerum adiuncta saepe difficillimos solve prudentia non vulgari et aequitate quadam canonica. Rei confirmandae gratia satis sit bina praebere exempla: In Instructione qua instruitur novus Missionarius, haec leguntur:

"Quia Concilium Tridentinum, prout novi, pluribus in provinciis, (ne dicam nullibi forsam Sinarum), hucusque nondum fuit publicatum, et Missionarii ordinarie suos reliquerint christianos in ignorantia legum huius Concilii, non inquietandos illos censeo circa matrimonia clandestina, seu absque benedictione Sacerdotis celebrata, et cultus disparitatem..."

"In administratione sacramenti Extremae-Uctionis... unctio pedum in feminis omittitur: nam apud sinenses... nihil delicatius habetur in feminis, quam pedes earum fasciis constricti..."

Dno. POTTIER non placuit praxis qua P. LY, annuebat ut nupturiens sapitatus connubium iniret, cum parte infideli, non impetrata prius dispensatione circa cultus disparitatem". Caveamus —monebat Missionarius gallusne propter maiorem condescendentiam erga christianos, in peccato fovendo nosmetipsos damnemus" (p. 363-64).

Quibus monitis acquiescens, expertus animarum Pastor, sin respondit:

"Circa dispensationem matrimonii in disparitate cultus a christianis impetrandam optime novi illam a Vicariis Apostolicis inculcatam, et quoties mihi licuit, idipsum christianis a me visitatis indicavi. Verum... his in rebus circumstantiis, ubi vix religionis fundamenta iacere licet, sacerdotem pro suo posse christianos docentem et sacramenta fidelibus administrantem, unice dispensationem matrimonii as ipsis christianis minime petitam, mortali peccato constringere, durius mihi videretur... Cum patientia paulatim procedendum charitas ac prudentia christiana ita suadere videtur" (p. 364). D. POTTIER senis experti sententiae tandem accessit.

Liceat quoque pandere quid sentiret P. LY de Sacramento Confirmationis:

"Siquidem missionarii peguenses vel etiam cambojenses, autoritate apostolica sibi specialiter concessa, ob defectum Episcopi, sacramentum Confirmationis et Ordines minores conferendi jure gaudent, mirari hucusque non desino quod nostri Vicarii apostolici similem gratiam ab Apostolica Sede nunquam postulaverint, maxime cum sacramento Confirmationis conferatur plenitudo septiformis gratiae Spiritus Sancti, qua Neophytorum corda corroborantur ad publice confitendum nomen D. JESU coram tyrannis ac judicibus idololatricis, his in persecutionum circumstantiis... Sine Confirmationis sacramento, debitam christiani nominis constantiam quandonam assequuntur?" (p. 407).

Venustum hoc DIARIUM, per ordinem temporis, textu latino, semper accuratissimo, interdum quoque concinno, enucleate digestum, clauditur in urbe Tching-tou, die 30 dec. 1763, conclusione grati et humilis animi sensibus perfusa:

"A cano aetatis septuaginta trium annorum, tristitiis moeroribusque tum internis, tum externis... confecto, aliquid operis huic simile non expectent nostri Praelati aveo, nam, dissolutionem mei corpusculi instare sentio et ni Deus, patientiam in me exercendi causa, me conservare velit, brevi in cinerem me redigendum certus sum ego".

Quibus adiunguntur nomen, cognomen necnon tituli consueti: LY ANDRAEAS, Presbyter sinensis, Missionarius et Notarius Apostolicus (p. 677).

Providus misericordiarum Pater, in solatium et instructionem juniorum praeconum Evangelii quibus reficiebatur desolata Missio Se-tchuensis, decem adhuc annos servum bonum et fidelem in exilio voluit servare. Tandem, meritis onustus, virtutibus venerandus, 83 annorum pondere gravatus, supremum diem obiit 23a. januarii 1774. Sane, strenuus miles CHRISTI bonum certamen certaverat, fidem servaverat, ideoque merito censetur ornatus corona iustitiae in gaudio Domini sui. A vero non recedit qui sedulo huic CHRISTI Ministro adscribere velit elogium testis oculati: In annalibus Missionum sinensium, non est inventus similis illi...¹⁷.

JUAN ANTONIO DE EGUREN, S. J.

¹⁷ Cf. Introductionem Diarii, p. XXII.